





De

ELISABETHA,

Anhaltinorum quondam principe, Ascaniensium comite,

Servestanorum et Bernburgensium domina,

Oldenburgiad Hontam

CIDICXXIX. pie denata,

pauca quidem, sufficientia tamen, cum lectore

communicat, ac insimul

Viro plurimum reverendo clarissimoque

D. IO. ISAACO TREMPENAV,

Artium humanarum doctori neque minus ecclesiast, quae

Servatori Grosmuhlingae in Anhaltinis collis-

gitur, pastori meritissimo,

affini et amico suo honoratissimo,

de reditu

natu maioris filii,

IO. DANIELIS TREMPENAV.

domestici sui ac auditoris industria, uti

par est, gratulatur

M. Godofr. Victor Moehring,

Rect. Iever.

OLDENBURGI.

Typis Iacobi Nicolai Adleri, Regis Danorum privilegarii Typographi.





D Te tandem,

*Vir plurimum reverende clarissimeque,
affinis et amice honoratisime,*

natu maior redit filius, quem quatuor ante annos meae disciplinae commisisti ac fidei. Ad Te, inquam, redit Tuus *Ioannes Daniel*, qui nutu Tuo Servestanam cum nostra provinciali adhuc scholam commutavit, qui lubens Servesta, quam tum temporis cum coniuge mea filioque unico, salutandi parentes, (a) accesseram, discessit, nec tantum in itinere, sed et Ieverae praefidium divinum suis oculis usurpavit omniumque clarissime advertit.

Habet omnino is ipse, quare Deum collaudet, quare gratias Numini persolvat immortali. Quod in itinere praesentissimo eundem mortis periculo liberavit ac prope Dingstadium, inter Oldenburgum et Delmenhorstum sicutum, cum meis meque ipso vivum conservavit. (e) Quod incolumitatem ipsi, dum hic fuit, clementer concessit, immo illaeum praestitit ac integrum. Quod eiusdem studiis benedixit ac benefactores ostendit, quorum adiutus ope hic probe vivere ac incumbere litteris potuit.

Quorum si beneficiorum oblivisceretur nec Deo salutem precibus castissimis commendaret tractus Ieverani, quid? quod suorum evergetarum filius, sane iniurius esset inque leges humanitatis peccaret. Longe tamen aliud sperare me iubet filii Tui vitae ratio, qui non tantum ingratitudinem odisse ac detestari consuevit, sed sermone iam nuper valedictorio sese in Deum gratum, patronos, benefactores, praeceptores publice declaravit. Quem priusquam exire urbe Frisiaque tota patiar atque ad lares remittam patrios, dabis veniam, *vir plurimum reverende*, quod si paucis Te alloquar, *Elisabethae*, *Anhaltinorum quondam principis*, quantum temporis fert angustia, memoriam renovem atque adeo cum voto, protua Tuorumque salute facto, finiam.

Dum

- (a) *Quos praeitura mihi morte, aetate licet grandes, obiisse, negare nolo. Ad plures abiit mater mea dilectissima, Ioanna Pinoin, CIDIDCCXVI, quam pater, meritis et integritate conspicuus, M. Paulius Henricus Moehringius, templi Servestani primarii archidiaconus et ministeris senior CIDIDCCXVII secutus, sui desiderium mihi meisque reliquit.*
- (b) *Erat anni currentis seculi XIV. dies XXVI. Augusti omnino fatalis, qui quum sororem meam, Sophiam Ioannam e vivorum consortio Servestae abstulisset, me simul meoque exanimasset, nisi singularis Dei gratia periclitantes nos ex undis eripuisse.*



Dum autem differere de *Elisabetha Anhaltina* constitui, in praefens animus non est, reliquarum mentionem iniicere *Elisabetharum*, quas sive ortu, sive nuptiis principes nominare Anhaltinas possum, (γ) sed istius, quae Oldenburgi ad Hontam, ante novem et septuaginta annos, debitum naturae reddidit ibidemque in templo, D. Lamberto sacro, secura quiete sit. Qua de Casp. Sagittarius (δ) vix cum lectore lineolam communicavit; nec adeo multa Io. Iust. Vinckelmannus (ε) tradidit. Qua de Io. Christ. Beermannus (ζ) aliquanto quidem prolixior est: Quum tamen et ea insufficientia existimem mihi que nonnulla, quae adipientissimae huius principis laudes faciunt, ad manus sint, (η) adponere ea non dubitabo, eo consilio, ut ab aliis vel praetermissa, vel strictim commemorata vel adferam, vel explanem tibique, quem Deus et Anhaltinorum princeps magnanimus, D. CAROLVS GVILIELMVS Anhaltinum quasi pronunciavit, (θ) brevibus ob oculos ponam.

Adspexit lucem *Elisabetha*, princeps *Anhaltina*, comes *Ascaniae*, domina *Servestae* pariter, ac *Bernburgi*, A. R. S. CDDCXVII, ipsis Kal. Dec. *Servestae*, tanto parentum serenissimorum gaudio, quantum sistere vel delineare nequeo. Parentes nominandos habeo *Rodolphum VI*, Anhaltinorum principem, reliqua (·) nec non

(γ) Ita natae Anhaltinorum principes, huiuscmodi nomine insignitae, fuerunt *Elisabetha*, *Ottonis*, *Achiariae* comitis et *Anhaltini* principis filia, *Friderici*, uti nonnulli volunt, *Thuringiae* landgravii coniunx; *Elisabetha*, *Sigfridi I.*, lineae quondam *Servestanae* conditoris gnata tertia; *Elisabetha*, principis *Voldemari* filia unica; *Elisabetha*, patre *Sigismundo* prognata, post *Alberto*, *Adansfeldensis* comiti in matrimonium data; *Elisabetha*, *Ioannem II.* patrem comitemque *Barbyensem*, *Gulfgangum* maritum agnoscens; *Elisabetha*, integri tractus *Anhaltini* principis, *Ioach. Ernesti* filia quae, *Io. Georgium*, principem electorem *Brandenburgicum* *XI.* liberorum patrem fecit; *Elisabetha* demum, cuius, *Augusti*, egregie docti principis gnatae, inscriptionem sepulcralem una cum laudibus, quae tantae principi iure tribuendae, Beermannus p. 454. *Der Hist. des Fürstenth. Anhale*. recenset. Ita nuptiis *Elisabethas* collocatas Anhaltinorum fuisse principibus, sigillatim *Ottoni*, *Bernardo V.*, qui improlis mortuus, *Alberto I.*, *Voldemaro*, *Ioanni I.*, *Alberto III.*, qui *Elisabetham* post *Elisabetham* coniugem selegit, *Alberto V.*, *Victori* tandem *Amadeo*, qui *Anhaltinae* domus senior nuper fatis concessit, in dubium vocari nequit.

(δ) *Hist. princ. Anhalt. C. XL. §. II. p. 198.*

(ε) *Oldenb. Friedens- und Krieges- Handel. P. IV. C. I. p. 324.*

(ζ) *Hist. des Fürstenth. Anh. P. V. L. III. C. I. p. 404.*

(η) Transmisit pleraque *Io. Phil. Kauffmannus*, *Scholae Oldenb.* regiae corrector mortuissimus, cui hoc nomine gratias ago meque ad quacvis officiorum genera paratum profiteor.

(θ) Te Gedanensem, affinis optume, mihi nunc licet *Anhaltinum* appellare, quae Grimmam CIDIICXCVI, *Ankunam* CIDIICCVI, *Servestam* CIDIICCXI, demum *Grosmuhlingam* CIDIICCXVI, vocatus, ad mandatum divinum *Anhaltinos* verbum Dei docuisti et adhuc cum emolumento, deo Deus multos per annos, doceas.

(ι) *Mare. Frid. Vendelinus* *pancis* quidem, at *nervosis Rodolphum* describit *verbis*: *princeps*, inquit, tanto natalium splendore dignis virtutibus ornatisimus, quem cognomento sive pium, sive humanum, sive iustum, sive clementem, sive prudentem appelles, a vero meritoque eius nihil alienum dixeris; de praerogativa enim in principe mira accumulatione certabant invicem omnes haec vir-

entes



non *Magdalena*, natam comitem Oldenburgi et Delmenhorsti, dominam Ieverae et Kniphusii, (*) *Ioannis XVI* filiam quintam, *Antonii Guntheri*, prudentis illius aequa, ac iusti Oldenburgen-sium comitis sororem. Avum paternum annalium scriptores *Ioach. Ernestum*, proavum *Ioannem*, (λ) abavum *Ernestum*, atavum *Georgium* seniorem, tritavum *Sigismundum*, protritavum *Ioannem I*, quadravitavum *Albertum II*, proquadavitavum *Albertum V*, quintavum *Sigfridum*, proquintavum *Henricum* perhibent: Quorum ego absque negotio repetere atque huc transferre maiores possem, nisi laborem cum supervacuum crederem ac talem, in quo mihi otium fecerunt illi, qui principum Anhaltinorum res gestas consignarunt. Quam tamen operam eo promptius lepono, quo facilius unusquisque et ex Val. Nicolaidis allato scripto plures ad Anhaltinum principatum pertinentes uno intuitu videre principes potest, et nemo non principes illos antiquissimos, immo eorum maiores fuisse duces, marchiones, principes electores agnoscit. Quod ultimum ne gratis dixisse videar, solum ea adducam, quibus auctor Elisabethae vitam, quae sermoni funebri adnexa est, deducit: Aus welchem hochgemedten Fürstlichen Geschlechte (loquitur de domo Anhaltina) 13. Marggrafen und Thurfürsten zu Brandenburg / welche das Marggraftum und Thurfürstliche Amt 175. Jahr bei ihrem Geschlechte gehabt und erhalten / ingleichen die Herzogen und Thurfürsten zu Sachsen / Engern und Westphalen / deren in der Zahl 14. gewesen / herkommen sind / worunter Bernhardus / Herzog zu Sachsen / Thurfürst und Marggraf zu Saldwedel / Graf zu Ascanien der erste / so vom Kaiser Friderico Barbarosia Anno 1169 mit dem Herzogthum Sachsen ist belehnet und Herzog Albrecht zu Sachsen / Thurfürst / so der letzte gewest / Anno 1422 zu Wittenberg seelig verstorben: Das also das Hochlöbliche Fürstliche Haus zu Anhalt das Herzogthum Sachsen mit der Thur 253 Jahr gehabt und loblich regieret hat. Avum fuisse maternum *Antonum I*, proavum *Ioannem XIV*, abavum *Gerardum bellicosum*, atavum *Dietericum felicem*, res ipsa docet. Quorum de aliorumque comitum Oldenburgicorum dignitate haec subiicit auctor, cui vitam Elisabethae degeo: Aus welchem Uhralten Hochlöblichen Gräflichen Haus Oldenburg die Grossmächtige

tutes. Quem Valent. Nicolaides scripto suo, quo maiores Elisabethae nobrae diligenter cumulat, haud tamen quamquam ab erroribus immuni, animosum vocat.

(*) Cuius cum Rodolpho initum matrimonium fortunatam dedit filio, *Ioanni III*. Anhaltinorum principi occasionem, dynastiam Ieveranam cum Anhaltina terra coniungere ac ex eiusdem proventu Anhaltes non parum proventus adangere.

Cuius post obitum ad principem filium, D. CAROLVM GVILIELMVM leverana provincia pervenit, adeo quidem, ut eandem ad hoc usque tempus possideat Servesta - Anhaltinus et in posterum possessarus sit.

(λ) Quem Sagittarius *Ioannem IV*, Beccmannus *II*, dictusque Nicolaides non incommoda *Philadelphum* dicit.



mächtige Könige von Dānnemarck und die Durchlauchtige Her-
zogen von Holstein herkommen / und damit das fürnehme Gräff-
liche Haus Schwarzbburg (daraus vormahls Kaiserliche und an-
dere hohe Regenten erwehlet) wie auch andere hohe Fürstliche und
Gräfliche Häuser befreundet / entsprossen. (e)

Revertor ad institutum : Natam Dei gratia principem Eli-
sabetham parentes indulgentissimi offerre Deo , sacro - sancto
salutis fonte ablui , ac nomine saepe dicto , in memoriam aviae ,
comitis Schwarzburgensis ac Hohensteinensis , exornari curarunt .
Quae anno aetatis quarto , non tertio , ut auctor vitae cursus ha-
bet , suo patre privata in orbitatem incidit , nec ita multo post ,
quid sibi velit , carere patre , intellexit . Quae porro , una cum
matre vidua , Magdalena unicoque fratre Ioanne , primum Cos-
vigae , bello deinceps crescente Vitembergae , demum Oldenbur-
gi vixit , ne gravissimis belli periculis exposita hostium cum su-
is vires ac insultus sentiret . Quo quum adventaret , benigne ex-
cepta , quid ? quod certissimi favoris ac amoris documentis ab
illusterrimo comite condecorata fuit . Hoc ipsum vero est Ol-
denburgum , ubi mater , ad liberorum salutem respiciens , ope-
ram dedit , ut relictum a divo marito Ioañem cum Elisabetha pro-
be instrueret ac dignis principibus virtutibus imbueret . Silentio ta-
men involvam praeclaram Ioannis educationem , et Vitembergae ,
et Oldenburgi auspiciis felicissimis finitam , (v) quod tantum de
Elisabetha non nihil nunc adiicere decrevi .

Quae , duetu matris optumae , non tantum alias sibi familiares
reddidit virtutes , sed et maxime cultus divini rationem habuit ,
qui eundem , ad Dei nutum , non tam institueret , quam continu-
aret . Quae a beato Luthero emendatis sacris nomen dedit , ad re-
gulam A.C.I. credidit , pietatem in Deum omnibus praetulit ,
lectionem S. litterarum , precationes non neglexit , verbi divini
ministros dilexit , corundem explicationibus frequens interfuit
neque minus ea observavit , quae honestum vivendi institutum ,
quae principem , tanto natalium splendore praeditum , commen-
dant . Quare non poterant Oldenburgici , quin excellens domus
Anhaltinae decus Elisabetham nominarent , quin comitatorem eius ,
quam verbis et factis ostentabat , laudibus efferrent , quin divi-
num eius ingenium admirarentur , quin matris solamen , quin
cognatorum gloriam , quin aliarum principum exemplum voca-
tarent atque adeo exoptarent , uti Deus in plurimorum commo-
dum eam diu defenderet yitaque , in propinquorum gaudium ,
longaeva bearet .

At enim , non exaudit semper vota piorum Numen aeter-
num , sed pro arbitrio hisce longiorem , illis breviorem vitam
concedit .

(u) Confer , si placet , Vinckelmannus l. d. P. V. C. V. p. 591. et 592.

(v) Quam una cum vita Ioannis peculiari et dissertatione , et oratione CIDIDCCXL
exposuit .



concedit. Quod ultimum quemadmodum experta est nostra Elisabetha : Ita quidem ut flos effloruit, sed spem praeter et expectationem omnium marcuit. Septimana scilicet ante festum Spiritus S. anni CCCCCXXXIX. omne corporis robur amisit et valetudinem, quam licet sarcire adlaborarent artis salutaris doctores, nihil tamen efficiebant, sed solicii perspiciebant,

Non esse in medicis, semper relevetur ut aegra.

Quamobrem ad Deum se convertit Elisabetha, terrena contempsit, futura magnificet, voluntatem divinam suam nuncupavit, patientiam morbo gravi exercuit, adventum coelestis sponsi expetiit, trigesimum primum et quadragesimum secundum psalmos attenta perlegit, multo plura sacrarum pandectarum oracula, v. c. *sic Deus dilexit mundum; non ignoro, redemptorem meum vivere; nemo nostrum sibi ipsi vivit*, perpendit, preces, uti consueverat, bonas fudit, funebrem propinquis pomparam interdixit, horis diei III. Junii matutinis salutaribus semet, contra instantem commutationem, epulis firmavit fidemque in Servatorem unice professa, horis inter octavam et nonam vespertinis, matre, fratre, avunculo aliquisque principibus praesentibus, de vita exiit. (ξ) *Vtinam anima mea moriatur, ut iustae huius Elisabethae, utinam vitae meae finis sit, ut huius!*

Sane auctor, qui curriculum vitae concepit, vix tantae principis famem et sitim spiritualem, quo sacra coena utatur, vix confessionem scelerum novissimam, quo in gratiam cum Deo redeat, exprimere potest: Manifesto documento, voluisse principem Elisabetham dislocvi et vivere cum Christo, valedixisse eam mundanis et adamasse coelos. Quae imperterrita mortem expectavit, matrem et fratrem, ne flerent suique curam, susciperent, consolata, adesse Deum morte beata, quam sibi delectationi esse. Quae scripturae S. asserta audivit neque minus in succum et sanguinem convertit, quae decumbens, ad extremum vitae halitum, constantiam in Deum, probitatem, spem, fidem, patientiam demonstravit, tanto ardore, ut quivis aeternae beatitudinis desiderium in ea videret, ut remotos dolores corporis, qui secus aegros affligunt, putaret. Moribunda maxime semel ac iterum sic ora resolvit: *In manum tuam depono spiritum meum, Domine*; ac ita ex hominum conspectu demigravit suosque omnino tum moestos reliquit.

Dixi modo, Elisabetham ipsam de funeris sui solemnibus disposuisse ac omnem exequiarum splendorem inhibuisse: quare

(ξ) Plerumque luctus luctum comitatur. Id quod Oldenburgum restatur, quod non modo Elisabetham Anhaltinam die III Junii, sed et in sequente X eiusdem mensis die, horis inter secundam et tertiam matutinis, Antonii Guntheri et Magdalena sororem, Annam Sophiam amisit virtutibusque ornatisimam comitem luctu iterum publico deploravit. Meretur carmen legi, quod Henr. Gerkenius in obitum Elisabethae et Annae Sophiae conscripsit quodque Beccmannus l. d. P. V. L. III, C. l. p. 404, repensis.




quare Magdalena mater, quare Ant. Guntherus comes voluntati defunctorae satisfecit ac sine apparatu, non tamen sine lacrymis et moerore, in S. Lamberti templo, quod Oldenburgi est, inferrre tumulo corpus curavit, quale XXI. Annos, VI. menses, dies II. cum anima coniunctum fuerat.

Loculus, qui ibidem adseratur, idiomate germanico, exhibet sequentia, quae forte referre non inconveniens erit. Parti nempe tegumenti superiori adscriptum: *Mea spes in Deum*; et: *Elisabetha, princeps Anhaltina, comes Ascaniae, domina Servestae ac Bernburgi placide ac pie in Domino obdormivit d. 3. Iunii, A. C. 1639.* A latere dextro insignia Anhaltina, bis Brandenburgica et Virtembergica; a sinistro Brunovicensia, Anhaltina, Saxo-Lauenburgica et Oldenburgica conspiciuntur. Ipsum loculum exornant, quae sequuntur deque principis pietate testantur, effata, ita quidem, ut a latere dextro reperi-antur:

Ach mein herzliebstes Jesulein!
Mach dir ein rein sanft Bettlein!
Zu ruhn in meines Herzens Schrein!
Dass ich nimmer vergesse dein! It.

Ego novi, redemptorem meum vivere; et posteriorem super pulverem resurrecturum: et postquam vermes confoderint istud, e vigilante meis tum carne mea me visurum esse Deum. Idem qui sum, ac non alienus, visurus sum mihi et oculi mei adspecturi. (o) A sinistro: *Sive vivimus, Domino vivimus: Sive morimur, Domino morimur: Sive igitur vivamus, sive moriamur, Domini sumus.* (π) It. in manum tuam depono spiritum meum. Redemisti me, Iehovah, Deus fortis, verax. (e) It. ita Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut, quisquis credit in eum, non pereat, sed vitam aeternam habeat. (σ) A capite vero loculi unicum scripturae S. oraculum: *Sanguis Iesu Christi, filii Dei, emundat nos ab omni peccato;* (τ) itemque unicum a pedibus extet: *mihi Christus et in vita et in morte lucrum.* (υ)

Tandem ab amico honoratissimo, cuius canos Deus custodi- at quemque cum omnibus suis confortet, quum communicatam acceperim monetam, in tam deyotae principis mortem cusam, nemo mihi vitio vertet, quod si et illam huic dissertationi inseram ac eadem recolere per quam rara memoriam tentem. Quae sub- sequentem continet inscriptionem, quam describere, quoniam altum hac dere in Chronicis est silentium, non gravabor:



Cuius

(o) Ioh. XIX, 25, 26, et 27.

(σ) Ioh. III, 16.

(π) Rom. XIV, 8.

(τ) I, Ioh. I, 7.

(ρ) Ps. XXXI, 6.

(υ) Phil. I, 21.

PKX b. 662

Cuius concionem funebrem, verba gentium doctoris, ad Phil. I, commate 21. explicans, M. Gerlacus Langhorst e suggestu recitavit, quam et Oldenburgi CIDIICXL. typis submisit.

Haec autem fuere, *vir plurimum reverende clarissimeque affinis et amice multis nominibus colende*, quae recensere de *Elisabetha Anhaltina* volui, nullum alium in finem, quam ut ab aliis neglecta supplerem tantamque principem ab interitu et obliuione mortalium vindicarem. Superesse videtur, uti domui Anhaltinae, cuius servum et clientem se pater meus cum avo nominavit, cui et ego, in Ieveranis licet, laetus pareo, quaevis fortunata ad precer praepotentique Deo tantorum principum actatem, annos, consilia ac imperium omnium demississime commendem. Dein et Te, *affinis honoratissime*, coniugem Tuam multo dilectissimam omnesque Tuos, maxime *Io. Tuum Daniel* Deus servet, laboribus Tuis et eius exalto benedicat, nihil non vobis boni largiatur vestrosque conatus sic dirigat, uti Tu, *vir plurimum reverende*, ceu adhuc fecisti, multorum animas lucrificias ipseque filius Tuus suo tempore et Deo, et proximo, in Tui, Tuorum et meum gaudium, inserviat. Ita vale ac mihi meisque constanter fave. Dabam Ieverae in Friesis, ipsis Kal. Octobris, CIDIICCXVIII.

Epi'meteror.

Non possum, *Vir plurimum reverende*, quin sub finem epistole, quae nunc modo in mentem veniunt, subiungam, quin iudicium *Tuum mihi benignum de singulis expetam*. *Elisabetham*, cuius vitam dedi, divam omisit C. E. Hubnerus in den neuesten Genealogien aller hohen Häuser in Europa Tab. LXXV. p. 71. qui tamen, quod data interdum opera, velut ipse in praefatione sua testatur, principes demortuas silentio involvit, excusari potest. Immo auctor quidam Gallus, cuius genealogiae des maisons souveraines de l'Europe, CIDIICCV. Amstelodami prodierunt, eandem prorsus neglexit, nec paucos ceteroquin in isto libello errores commisit. Silet quoque auctor des Staats der Fürsten zu Anhalt C. VIII. p. 65. de eadem ac solius, cum auctoribus praedictis, e posteriori matrimonio suscepit *Ioannis* mentionem facit. Quae paucis subnectere volui, ut observantiam non tantum comprobem Anhaltinorum principibus ac dominis meis clementissimis, sed et variorum de diva principe Anhaltina scriptorum silentium indicem meque adeo defendam, quare peculiari tantae principis vitam epistola prosecutus fuerim. Tu autem, *affinis optume*, iterum vale.



ULB Halle
004 858 00X

3



